

131.

M
7

DECADES DUÆ
CONTROVER-
SIARVM JVRIS
ILLUSTRIVM.

2 V 4 S

Aspirante SS. & individua Trinitate :

Permissa & Autoritate Nobilissima & Amplissima Facul-
tatis Juridicae, in Electorali Borussorum Academia :

PRÆSIDENTE

Amplissimo & Consiliissimo Viro,

Do. CHRISTIANO Ohm /
J. U. D. Professore Publico Pri-

mario, Præceptore ac Promotore omni
obsvrantia cultu perpetim ho-
norando :

Publicè disquisitioni ventilandas
proponit

MATTHIAS GOSNOVICERVS
Cibinien; Hungarus.

In Auditorio Majori ad diem Julii,
horis d. 7. matutinis.

Ulpian. l. 1, §. 5. ff. de Extraord. Cognition.

Civilis Sapientia res est sanctissima, precio numma-
rio non estimanda,

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadij 1638.

131

23.

VIRIS
NOBILIBUS, AMPLITUDINE & GRA-
VITATE SPECTATISSIMIS,

Dn. JV DICI, TOTIQ;
ORDINI SENATORIO,
INCLYTÆ REIPUBL. CIBI-
nien: Hungariæ superioris, cœ-
terisque de Repub. bene meritis, Patronis
ac Mecenatibus suis magnis :

UT ET
REVERENDIS, CLARISSIMIS,
DOCTISSIMIS,

Dn. PAULO KYRALY,
Antistiti Eccl. Cibinien: German.
fidelissimo.

Dn. SAMUEL FABINO,
Diacono ejusdem vigilanssimo.

Dn. STEPHANO REGIO,
Concionatori Eccl. Sclavice me-
ritissimo.

E Gregiè ICIus Javolenus l. 3. ff. de Constitut. Princip.
monet : Beneficia Principum quam plenissimè
interpretanda esse. Evidem Viri Nobilis. Consulti.
Reverendi, Clarysimi, s[ed] sententia hujus ICIi ad veritatis
libram

libram dexterè pensiculatur, nemo omnino futurus est. quib
id elogii genus pie affectioni ac clementia vestra imperi
ri aquum non judicaverit: Biennium enim jam excepit,
quo Illustrēm hanc Academiam Regiomontanā virtutis &
eruditōnis abērioris consequenda causa accesserim, inest
mabile planē liberalitatis ac munificentie beneficium à vo
bis consecutus sum, cuius vigore in studio Academicō felici
sidere decurrere fuit integrum. At quā justitia &
equitatis ratio suadeat, Beneficia beneficis compensan
da esse, semper è mīhi alkaborandum esse duxi, ut si be
neficiis tantus ea quā par est dexteritate responacere non
possem, qualequale tamen gratitudinē specimen tantis fa
tronis prebarem. Hac cum mecum tacitus volverem, in
nata quadam V. N. A. clementia & b.igna erga littera
rum ordinem voluntas è mīhi deduxerunt, inq. animi linum
suggererunt, ut ad exemplūm ceterorum Civium Academic
orum projectus Musarum Academicarum in publicum
producerem. Feci id ipsum inq. eam sententiam prompte
mente consensi. Vobis igitur hos flores Virt. N. ex A. R. C.
quales quales in monte Regio per sinuos Legum juga et juris
saltus oberrando congregos offero, quibus nominum restorans
splendorem intexere non sum veritus, quos testimonium ac ceu pi
gnus grati animi esse volui, spero has Musarum primitias non ex
plosuros, sed serenā mente pro insigni restrā benevolentia suscep
pturos. Et quia de benevolentia vestra minimē dubito, hic calae
num sisto, & id unice à DEO Ter. Op. Max. contendō, ut vos
bis pacatum regimen, vitam, incolumitatem atq; felicitatem pera
petuam divinitus largiatur. Dabam R. giomont, die 20. Iunii.
Anno 1638.

V. N. A. D. D.

addictissimus

Matthias Gosnovicerus A. & R.

A 2

C O N-



CONTROVERSIA I.

Ad legitimam Nupriarum constitutionem
consensum legitimum ac justum, tum
partium contrahentium, tum eorum in
quorum sunt potestate omni jure non
tantum honestatis, sed etiam necessitatis
causa requirimus.

Nrimonium legitimum constitue
consensus legitimus tum partium
contrahentium, tum eorum in quo
rum vivunt potestate, qui contra
hentium consensum facit plenum ac
justum, non enim plenus liberorum consensus est,
nisi Parentum voluntate firmerur, hunc verò ex ne
cessitate adesse debere fundamentis constat solidissi
mis : I. *Juris Divini*. Conjugium primorum
Parentum merita censeretur norma ac forma, juxta
quam Conjugia legitima sunt instituenda. Equis
verò negat **DEUM** ipsum in copulatione Adami
& Eva Parentis instar fuisse, cuius consensu & auto
ritate primi nostri Parentes arctissimā corporum a
nimorumq; conjunctione ad individuum vitæ con
suetudinem colendam coaluerunt, non ut privato
arbitrio connubiale hunc nexum amplecteren
tur; sed ut **DEI** voluntas intercederet, quæ Paren
tis locum obtinet *Luc. i. v. 38.* Unde juxta hanc nor
mam

inam legitima conjugia adhuc hodie sunt instituenda. Generale præceptum continetur in 4. Decalogi Præcepto, quod reiteratur Deut. 5. v. 16. Matth. 15. n. 4. Eph. 6. v. 2. ubi jubentur filii obedire Parentibus, id quod explicat Apostolus Col. 3. v. 20. nam per omnia & in omnibus. Specialia Præcepta præponuntur passim in Sacrae Scripturæ locis Exod. 34. v. 19. Deut. 7. v. 3. Jer. 29. v. 6. Eccl. 7. v. 29. Sicut in dictis locis proponuntur iussiones, ita quoq; in hisce casibus dantur divini juris decisiones. Exod. 22. v. 16. Num. 30. v. 4. Ex quibus à majori ad minus firmissimum dicitur argumentum. II. Juris Naturalis. Aequum sanè est, ut qui ad eam ætatem eos educarunt, & tot labores, curas, molestias & solicitudines sustinent hoc honoris habeant, ut eorum in nuptiis contrahendis consensus requiratur. Neque enim ullā in re obedientia filiorum erga Parentes potest illustrior conspicī, quam in nuptiis contrahendis. Schneidv. Inst. b. t. n. 34. III. Juris Civilis. Hac de te Leges ratione consensus Parentum tam sunt claræ ac perspicuæ, ut plurium Legum citatione opus haud esse putemus, pr. Inst. de Nupt. l. 2. Auth. de Nupt. l. 18. l. 25. d. t. l. 2. C. cod. l. 12. 20. cod. Ratio est in Patria potestate l. 12. C. de Nupt. in hæreditatis successione, ne cuiquam Invito satus agnoscatur hæres. I. & tam filium Inst. de Adopt. Parentum affectum, qui semper bene præsumitur prospicere liberis l. fin. C. de Gurat. furios. & infirmo liberorum judicio l. 4. C. de Spons. IV. Juris Canonici. Hoc jure consensum Parentum non de necessitate sed honestate tantum requiri multi opinantur. Contraria tamen sententia verior est, ex claris textibus

A 3 bus



bus e. aliter 30. q. s. c. noſtrates 3. Caus. 30. q. s. c. bono-
raptur 32. q. s. c. uon omnis 12. S. ult. & c. seqq.

CONTROVERSIA II.

Et si matrimonium citra Parentum consensum
fuerit contractum, licet copulâ carnali
fuerit consummatum, iuſtæ tamen e-
cunt Nuptiæ, iuſta Vxor, iuſti Libe-
ri, Parensq; propter dissensum stricte ju-
ris ratione illud dirimere potest.

Nicitur hæc sententia autoritate Juris Divini.
Exod. 22. v. 17. Deut. 22. v. 29. Juris Civilis §. pen.
Inſtit. h. t. & rationum plurim, quas recenset Hœ-
non. ad *Inſtit. diſp. 2. th. 12.* Placer verò communi-
ter recepta horum sententia, quando Filia nubis in-
honestæ & turpi personæ, rectè sequimur Juris u-
triusq; & Divini & Humani decisionem, vel nubis
yiro honesto pari moribus & genere, & hoc casu
matrimonium rescindendum non est, sed Pater per-
suadendus ut consentiat *l. vidua C. de Nupt.* Huc fa-
cit illud ICti: Publicè interest, ne quieta ac benè
concordantia matrimonijure patriæ potestatis tur-
bentur *l. 1. §. fin. de Lib. Exhib.* & ne corruptæ per-
sonæ fiat injuria, si pudicitia amissa virum quoq; a-
mitteret, & soepè ea quæ fieri non debent, si tamen
facta fuerint non rescinduntur *l. 1. §. s. quand. appell.*
l. 8. §. 1. de R. J. Han. d. l. Vesēnb. parat. de Rit. nupt. n.
g. Schneid. h. t. n. 16. De Jure Canonico tale ma-
trimonium ratum pronunciatur, Jure tamen Di-
Divino & Civili contrariam sententiam approbari
jam

jam ostendimus: Quam etiam cum justa nitatur
ratione, atq; in utilitate publica, in pietate & hono-
re, Parentibus Divino & Humano jure debit is, in
honestate deniq; suum habeat fundamentum, ideo
omnino retainendam & sententia Canonico jure
approbatæ anteferendam putamus.

CONTROVERSIA III.

Qui cum vitiata ab alio ignorans matrimonio-
nium contrahit, re postea compertâ jure
ea à marito repudiari potest.

Contingentiam facti hujus questionis inter-
dum contingere præsertim hoc perverso seculo te-
statur experientia, ut Virgo virginatis labem per-
pessa, sub pretextu castitatis illibatae Sponso igno-
ranti sese adjungere non veretur, talem vero posse
etiam post contracta Sponsalia & post consumma-
tum matrimonium repudiari, stat sententia vera ex
Juris Divini & Humani decisione Deut. 22. v. 14. U-
bi corrupta, quæ pro virgine se elocari passa est ca-
pitali supplicio affici jubetur, quæ lex quamvis Fo-
rensis sit, nostras tamen Politias stringit, quippe
cum ea ostendatur quid DEIIS approber quidvè
improber, sequitur ad earundem obtervantiam er-
iamnum conscientias nostras esse adstrictas. Et
hanc severitatem secutæ sunt & aliae gentes, ut a-
pud Terentium in Hecyra Pamphilus recusat du-
cere ab alio imprægnatam. Hanc in rem facit
CONSTITUTIO XCH Imper. Leon. ver-
bis valde pondosis ac emphaticis concepta.
Quomodo vera Sponsalia sunt, in quibus nihil

Verum



verum neq; genuinum conspicitur? ubi me-
retricium se offert scelus, ubi causæ sunt dissim-
ilarum & odii, ubi animorum alienatio? quo-
modo ibi matrimonialis concordia? quomo-
do purus Spontalisq; est amor? Et si in emptio-
ne vilis ancillæ æquum & legitimum visum est, ut
ob justissimum errorem talis contractus rescindere-
tur, quanto magis in contractu matrimonii, quod
perpetuam vitæ communitatem inducit, valere de-
bet? l. 11. s. si quis virginem ff. de Art. Empt. Quid,
quod talia matrimonia tristes plerunq; soleant for-
tiri exitus, cum mas cogatur cum illa, quam cane
pejus & angue odit cohabitare c. præterea 12. cum lo-
cum 14. C^o 17. Ext. de Sponsal. Hen: diff. 2. Conc 9.
Væsenb. parat. ff. de rit. Nupt. Idem admittere Pra-
xim Consistorialem testatur Schneid. b. i. n. or. Ita ta-
men ut prius summo studio tentetur reconciliatio,
ut deceptus uxorem retineat, præsertim si est mode-
rata, & ubi est spes emendationis, quæ si obtineri &
perfici non poterit, pronunciatur pars enormiter
læsa libera, non tantum quoad thorum, sed etiam
ut alteri nubere possit. De Jure Canonico &c talis
error non vitiat matrimonium C. unico in fin. 29.
quaest. 1.

CONTROVERSIA IV.

Dissolvitur matrimonium rite contractum di-
vortio, cuius causæ licet plures Iure Ci-
vili receptæ sint, ex Iure Divino tamen
adul-

Adulterium & malitiosam desertionem
veras & solas causas esse pleriq; recte a-
struunt.

Matrimonia sicut jure constituuntur, ita non nisi jure dissolvuntur. Varia autem ac diversa di-
vortii reperiuntur jura. (I) Est jus V. T. ubi Mo-
ses ex quacunq; causa permittebat dimittere uxo-
rem, & dare ei libellum repudii *Deut. 24.* (II.)
Jus Civile ubi Jure Digestorum ex eadem cause fa-
cilitate permittebatur fieri divortium dando ei li-
bellum repudii, in quo continebantur hæc verba:
Res tuas tibi habeto, Conditione tua utere, ut di-
sertè demonstrat l. 2. ff. de Divort. Jure Codicis hæc
fuere correcta, & certa divortii cause expressæ, quæ
ramen sufficietes minimè videbantur, *ut patet ex l.*
consensu C. de repud. Tandem Jure Novellarum pau-
cæ cœteris sublati sunt admissæ de quibus habetur
in Auth. *Ut liceat Matri vel Avia.* Sed hæc causæ
hodiè non spectantur, sed ex solum quæ ab ipso
Domino in Jure N. T. expressæ leguntur, ut ele-
ganter hanc rem deducit *Schneid. Inst. b. t. n. 14.* Et
tale matrimonium solvitur vel *ipso jure* propter a-
dulterium *Math. 5. v. 31. & 19. v. 9. l. consensu C. de*
repud. & quidem in totum, non quoad mensam &
thorum, quæ distinctio à CC. conficta est, & latè re-
futata à Beza *tr. de repud p. 157. & seqq.* vel per *Ma-*
gistratum, propter malitiosam desertionem *1. Cor.*
7. v. 15. & 19. Et defertia personæ novum conju-
gium superstite deserente inire permittitur. Plu-
res divortiorum causas allegat *Imp. in l. 8. C. de repud.*
quæ si admittantur, matrimonii dignitas vilescer, &

B

ex

ex re seria fiet ludicrum. Schönbörner Pol. lib. 1. c.
g. p. 49. Treutl. 2. diss. 6. th. fin.

CONTROVERSIA V.

In Testamento solemnī septem testium sole-
mnitates à Iure Civili requisitas adhuc
hodie de jure requirimus.

Septem testes ad substantiam testamenti perti-
nere volunt Dd. nec ineptè si intelligamus ipsam or-
dinationem Testamenti. Unde verò descendat o-
rigo septenarii numeri in ordinatione Testamenti
quoad adhibendos testes non convenient Interpre-
tes, quidam confugiunt ad præstantiam numeri se-
ptenarii, quod dicatur sacer & perfectionis, cuius
frequentissimè in Jure Divino fit mentio, & veteres
peculiarem quandam vim & energiam huic nume-
ri septenario attribuisse refer Danib. de Testam. n. 40.
Verum rectè sentiunt illi, qui recurrent hac in re ad
antiquum modum testandi, qui per as & libram o-
lim dicebatur, in eo enim quinq; requirebantur te-
stes una cum libripende & familia Empatore §. 2. Inst.
de Test. Ordin. adeò interveniebant septem Perso-
næ: quem numerum Prætor, qui solemnitates il-
las Juris Civilis improbavit, integrum tamen in Te-
stamento esse voluit, adeoq; inde necessariò effe-
ctum, cum nullæ essent partes Libripendis & Emto-
ris. ut septem testes adhibendi essent. Bachov. ad §.
3. Inst. de Just. Ord. l. 12. 31. C. b. 1. Idem constitu-
tum est in Comitiis Colonien: Anno Christi 1512.
sub Maximiliano I. habitis sub tit. Bon Testament:
sen §. Und sollen die Notarii, ut secundum disposi-
tionem

tionem Juris Corsarei ad cuiuslibet Testamenti ordinationem minimum septem testes adhibeantur : cum hic testandi ætus infinitis sit obnoxius fraudibus, voluit lex tot testimoniis solemnitates adhiberi, ut tanto majorem sinceritatem obtineat, & ut fraudes omnes, quæ faciliter circa ultimas hominum voluntates committi possunt evitentur, atq; per ampliores homines perfectissima veritas reueletur, ut inquit ICor. l. ult. C. de Fideicom.

CONTROVERSIA IV.

In Testamento Militari hæ Testamenti solemnitates sunt relaxatae.

Sed an in Testamento tempore pestis condito numerus testimoniis sic remissus, ingens est disceptatio inter Interpretes. Forum tamen opinio verissima & Juris fundamentis maximè consentanea, qui simpliciter tradunt, quod etiam tempore pestis præcisè septem testes requirantur, sed in eo solemnitas testatorum est relaxata, ut non sit necesse, quod testes unico contextu adhibeantur, sed sufficiat, si ex intervallo veniant. In Testamento Militari solemnitates has esse relaxatas, constat tot. tit. *in his ff.* & C. de Testam. Militar. Nov. Constit. Imper. Bon den Notarien §. Bon Testamenten Anno 1512. Coloniæ publicata ita distinguit : Aut miles testatur in militia aut extra militiam : Priori casu subdistinguit : aut enim testatur in castris, non tamen in confliktu hostium, & tunc duos testes adhibere debet, aut testatur in ipso hostium congressu & confliktu, & tunc licitum est ei testari quocunq; modo vult,

nullis prorsus adhibitis solennitatibus. Posteriori
casu si sc. domi testetur, tunc secundum Juris Com-
munis dispositionem testari debet.

CONTROVERSIA VII.

Causæ exhæredationis in Novel. IIS c. 3. re-
latæ ad casus etiam non expressos recte
extenduntur, adeò ut ex aliis æquè gra-
vibus aut gravioribus causis justa fieri ex-
hæredatio possit.

Recensentur ab Imper. Justiniano in d. Nov.
quatuordecim exhæredationis causæ, quæ an suffi-
cientes & justæ sint, graviter inter se digladiantur
ICti. Quidam præcisè volunt, ut præter eas nulli
liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, ni-
si quæ in illa constitutionis serie continentur. No-
bis verior videtur eorum sententia, qui ob causas
pares vel maiores iis exhæredationi locum tribuunt,
non enim intentio & propositum Justiniani hoc
fuit, ut similes vel maiores iis excluderet, sed dissimili-
mest tantum; absurdum enim & inconveniens for-
ret, si causa ingratitudinis æquè gravis vel similis
committatur, quæ à Lege expressæ sunt, eam non
eodem jure censendam, quo causæ LL. expressæ.
Confirmat hanc sententiam l. 12 ff. de LL. ubi Imp.
diserte statuit, quod Judex in casibus similibus iis,
qui in lege expressi sunt, idem jus statuere debet.
Adde quod Imp. inter causas ingratitudinis iliam
generalem enumerat; *Si gravem & inhonestam in-
juriam Parentibus ingesseris, nulla autem dari ferè
potest,*

poteſt, quæ noh ſub hac conſineatur. DISS. Treat. vol. 1. diſp. 13. tb. 8. & multi alii.

CONTROVERSIA VIII.

Tutor etiam exhæredato dari poſteſt.

Exhæredatio non refertur inter modos ſolven-
di P.P. 108. tit. Inſtit. quibus mod. ius P.P. ſolv. Testa-
mentaria autem tutela eſt ea, quando Parentes libe-
ris ſuis in poſteſtate conſtitutis dant tutores. Ut au-
tem hæredibus inſtitutis datur tutor l. 4. 4. l. 10. ff.
de Teſtam. tut. Ita etiam exhæredatis d. l. 4. l. 10 d. l.
l. 77. §. 3. ff. de Condit. & Demonſt. Si tamen pro-
pter exhæredationem impugnetur Teſtamentum,
tutor datus conſirmandus eſt à Prætore l. 20. §. fin. ff.
eod. l. 1. §. 1. l. 3. l. 6. de Conſir. Tut.

CONTROVERSIA IX.

In Cauſis Criminalibus non capitalibus Fide-
juſſor intervenire poſteſt,

Fidejuſſor dicitur, qui alterius obligationem
ſuſcipit, & fide ſuā eſſe jubet, unde Fidejuſſor quoq;
dictus l. 8. §. 2 Sc. Vellejanum. Veſenb. parab. ad Tit. de
Fidejuſſor. hic accedere poſteſt obligationi ex contra-
etu deſcendentis in Bürgerlichen Sachen non modò
Principali, ſed etiam accessoriae l. 18. §. ult. de Fidej.
Et hoc indiſtinctè procedere ſtuuiamus, ſi cauſa de-
lieti ſeſe extendat ad poenam pecuniariam l. 9. §. 4. l.
26. ff. de Fidej. Interveniente enim Fidejuſſore ac-
cuſator vel fiſcus fit certior de ſolutione iſtius pecu-
niae, nec judicium hoc caſu impeditur, ſed potius eō

facilius executionem consequitur. l. 70. §. fin. d. e.
Sed si reo sanguinis pœna infligenda veniat, an & hoc
casu Fidejussor intervenire possit? Negamus, moti
l. 3. ff. de Cus. & Exhib. eor. quodq; Fidejussor se ad
pœnam corporalem obligare nequeat, cum non sit
Dominus tuorum membrorum l. 13. ff. ad L. Aquil.
Interdum tamen habitâ circumstantiarum ratione
arbitrio & discretioni Judicis id committendum
censemus, qui tanquam solers & discretus & equi-
tati obsecundare solitus, cunctaq; subtiliter dispen-
sans dijudicabit pro circumstantiis delicti personæq;
delinquentis, quando Fidejussor admitti, & reus cu-
stodiâ relaxari possit. Menoch. lib. 2. arbit. jud. quest.
cas. 303. n. 16. & 17. Han. disp. 15. th. 5.

CONTROVERSIA X.

Mulier à Fidejussione arcetur vi SCti Velleja-
ni, cui etiam renuntiare potest.

Feminas in multis juris articulis deterioris esse
conditionis, quam mares, patet ex l. in multis ff. de
Stat. Hom. Jure Civili tamen expeditum est, quod
mulier pro libitu cum alio contrahere possit l. 2.C.
ad SC. Vellej. Unde videtur statuendum, quod acces-
soriè etiam contrahere, pro alio intercedere, fidem
suam interponere & bona obligare possit, quoniam
omnis qui per se contrahere potest, nec pro alio in-
tervenire & fidejubere prohibetur. Verum mulier
suo nomine contrahens efficaciter quidem obliga-
tur, alieno vero nomine intercedens eximitur obli-
gatione, actione in pristinum debitorem restituta.
Quod Senatum ideo movit, ut sicut Jure Civili uti-
lia

lia officia sunt adempta fœminis propter imbecillitatem pudoremq; sexus l. 2 ff. de R. J. ita multò magis adimendum eis esse visum est id officium, quod non modo virile esset, sed etiam parum verecundia muliebri consentaneum l. 18. C. de Procur. & ex fragilitate naturæ ad repentinam inopiam deduci poslunt l. unic. §. 15. C. de rei uxor. &c. Quod autem mulier huic beneficio renunciare possit, aperè probatur ex l. ult. §. pen. ff. ad SC. Vellij. l. 22. C. eod. Auth. Mater & Avia C. quando mulier tut. off. fung. Et Nov. 118. C. s. Et hæc quoq; sententia hodie usu est receptissima. DISS. Vesenb. parat. ff. ad SC. Vellejan. n. 9.

CONTROVERSIA XI.

Mulier in persecutione dotis omnibus creditoribus tam anterioribus quam posterioribus, tam expressam quam tacitam hypothecam habentibus præfertur.

Controversia hæc à multis Magni Nominis ICetis in dubium vocatur, adeo ut etiam gravissimi quiq; dissentiant. Nobis eorum sententia verior & fundamentis jurium magis consentanea videtur, qui contendunt, quod mulier indistinctè omnibus creditoribus etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus præferatur, l. 4. C. in quib. caus. pign. l. 29. 30. C. de Jur. dot. Novell. 97. c. 3. l. 17. C. de pign. l. 7. C. qui pot. in pign. Nov. 109. c. 1. l. 12. C. qui posterior in pign. Et hanc sententiam in Camera Imperiali esse receptam, testatur Mynsing. Cent. 4 observ. 13. n. 3. 4. & seqq. Contrariam sententiam sequuntur Gail. l. 2. Observ.

2. Observ. 25. n. 7. & seqq. Schneid ad §. 29. Instit. de Action. n. 57. & seqq. Vesenb. parat. Qui potior in pign. hab. n. 3. ex regulâ illa generali: Qui prior est tempore potior est jure: quorum fundamenta in conflitu videbimus.

CONTROVERSIA XII.

Ebrius flagitium committens an minore pœnâ sit afficiendus, quam si sobrius commisisset non satis convenient Interpp. Nos eorum probamus sententiam, qui distinctè hunc controversiaz nodum expeditum eunt.

Ut in aliis controversiarum iuris materiis non est omnium una eademq; sententia, ita ne in hac quidem. Quidam enim majori pœnâ ebrium afficiendum esse putant, eo quod ebrietas sit fomes vitiatorum & nutrix errorum. c. ante omne dist. 35. c. san. 15. q. 1. Metropolis omnium malorum, Bas. in Orat. de Ebr. Huc facit quod publicè Imperii legge ebrietas sit prohibita in Comitiis August. Anno 1500. 1530. & 1548. sub tit. de Compor. Von Zutrinzen: Et Carolus V. in suis hæreditariis provinciis constituit, ne ebrietas in cardibus excusationem adferat. Vesenb. in par. ad L. Corn. de Sic. n. 24. Quidam id negant, innixi hoc fundamento, quod ebrius comparetur infanti, mente capto & furioso & mortuo c. venter 35. dist. 35. Cum itaq; diversa sint hac de re Dd. opinione & sententiaz, distinguendum putamus inter Ebrietatem Drunkenheit & Ebriositatem

tem Beetrunkenhheit oder Gewohnheit voll zu seyn.
Gail. 2. obser. 110. n. 27. Inter veram Ebrietatem &
affectionatam Harp. 8. §. non solum Inst. de Injur. n. 15.
Quibus distinctionibus præsuppositis, hæc nostra c-
rit sententia: Ebrium in summo ebrietatis gradu
constitutum, cum & furioso sit similis & mortuo
comparatur, & sic non ex proposito, sed magis ex
impetu quodam peccat, benignius & mitius arbitrio
judicis puniendum statuunt cum Mysf. respons. 60. n.
ult. Tiraq. tr. de pen. Vesenb. in parat. ff. de Injur. E-
briosum autem quod attinet eum videlicet, qui ex
vitiosu habitu & consuetudine quadam sciens pru-
densve inebriatur, si consueverit esse rixosus & ex-
citare turbas, neq; ignoret, se tali virtio laborare quia
tunc ebrietas censemur destinata ad casum, ordinaria
pœnâ plectendum esse statuimus cum Gail. l. 2. obs.
110. Harp. d. l. Preſperi Farinacii l. 3. prax. crim. tit. 10.

CONTROVERSIA XIII.

Mandans delictum, pœnâ eadem, quâ manda-
tarius, qui mandatum execurus est, ple-
ctendus est.

Ut mandatum contra bonos mores non est ob-
ligatorium § 7. Inst. Mandat. ita etiam mandatum
de faciendo turpia nullum dicitur, ut inde nulla ci-
vilis actio nascatur adeò ut alterius mandatum man-
datarium revelare nullo modo possit. Igitur sibi
imputet mandatarius, si jussu Domini deliquerit,
cuius mandato ob tam maleficii atrocitatem parere
non debuit l. 157. de R. J. l. 11. §. 7. ff. Quod vi aut
clam l. 20. ff. de O. & A. l. 21. §. 1. rerum amot. Et quia
C pessi.

peſſimi exempli res eſt, mandare delictum, ideo ipſe mandans perpetrato delicto perinde ut mandatarius punitur l. 11. ſ. 2. ff. de Injur. l. 15. ſ. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. pen. C. ſe reus vel accusator morti. fuerum non tam fuasor quam delicti autor reputari poſſit, ſuo enim conſilio mandatarium incitavit ad perpetrandum id delictum, quod ipſe in effectum deducere voluit, ae proinde nihil intereſt, occidat quis an cauſam mortis praebeat l. 15 ff. ad L. Corn. de Sicar. Jure juſto itaq; mandans tanquam ex delicto punitur, licet mandatarius nullam habeat adverſus iplum actionem mandatarii. Ita eleganter diſſerit Babchov. ad ſ. 3. Inſtit. mandat. Conſirmat hanc ratio- nem l. 7. ſ. fin. ff. de Juſiſd. ubi poena eadem albi corrupti ex edicto infligitur ei, qui corrupit album & illi qui corrumpere mandavit.

CONTROVERSIA XIV.

Mandans tamen eypreſſe ne interficiat, ſed tantum percutiat ſi mandatarius interficerit, ipſe, non mandans ordinaria homicidii poenā tenebitur.

Vulgatum illud eſt quod circum fertur: Animus & propositum diſtinguunt maleficia, & prout offendendi animus affectus fuerit, ita delictum cenſetur gravius & levius l. 83. ff. de Furſ. l. 33. de Injur. l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar. Vult. de R. J. lib. 1. c. 45. Ut autem homicidii poena ordinaria locum habeat, expreſſe requiritur dolus, qui basis & fundamen- tum eſt L. Corn. de Sicar. culpa autem omnis quamvis latera rejicitur l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar. & hac in re

non.

non exitum, sed principium perpetrandi delictum
introspicere oportet l. 1. §. 3. l. 3. §. 1 ad L. Corn. de
Sicar. Jure merito itaq; non mandans, sed manda-
tarius, qui fines mandati excessit, poenâ ordinaria re-
tinebitur l. 22. C. de Pan. l. 26. ff. cod. Han. disp. ad Infl.
17. lib. 11. Arum. Exercit. 15. lib. 9.

CONTROVERSIA XV.

Si plures deliberatio ad occidendum animo 2-
liquem interfecerint, nec de Actore con-
state possit, an omnes poenâ L. Corn. de
Sicariis tenebuntur? Nos omnes tene-
censemus.

Hec quæstio aperiè probatur l. 1. §. 3. ad L. Corn.
de Sicar. & confirmavit eandem Carolus V. in Peins-
licher Halsgerichtsordnung art. 148. So ehliche
Personen mit fürgesezten vnd vereinigtem Willen vnd
Wuch jemand bößlich zu ermorden einander Hälff vnd
Beystand thun / dieselben Thäfer alle haben das Le-
ben verwircket/ etc. Si vero plures in rixa vel tumultu
aliquem occidant, an omnes poenâ ordinaria te-
nebuntur difficilis est quæstio, & quomodo puniri
debeant? Et quidem si de autore homicidii certò
conster, nullum est dubium, quod is poenâ ordina-
riâ puniendus sit l. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. quod et
iam expresse ita constituit Carol. V. d. c. v. So as-
ber ehliche Personen/ etc. Si vero Occisor ignoratur,
major solet oriti controversia, quomodo punian-
tur? Omnes ordinariâ poenâ puniendos esse statu-
unt quidam per l. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 10. ff.
de his qui dejec. l. 3. ff. ad L. Jul. de vi publ. Verum hæc

sententia ut dura, ita subsistere nequit, inter mul-
tos enim rixantes dubium non est, quin multi sint
innocentes; non enim verisimile est, ut omnes in
genere & singuli in specie aliquem occiderint. Sa-
crauit igitur nocentem absolvere, quam innocentem
condemnare. l. s. ff. de Pæn. quippè cum poenæ suos
tantum debeant tenere autores. l. sancimus C. de Pæn.
Præterea tantum suspicione sunt, quod hic vel ille
homicidium commiserit, nemo autem ex suspicio-
nibus ad mortem damnari debet. Ideò arbitriariè
extra ordinem vel poenâ pecuniariâ vel relegatione,
aut simili poenâ sunt afficiendi: fuerunt enim o-
mnes in Culpa & dederunt operam rei illicite d. l.
xi. §. 4. ad L. Aquil. Ab hac sententia non facit se-
cessum Carol. V. in Constit. Crimin. c. 148.

CONTROVERSTIA XVI.

Cum furtum jure Naturali & Divino sit prohi-
bitum, jure fit, ut rei hujus criminis ob-
tantam maleficii atrocitatem ultimo sup-
plice hodiè afficiantur.

§. 1. Inst. de Obl. que ex delct. nas. l. i. §. fin. ff. de
Furt. l. 42. de V. 8. Gen. 31. v. 20. Exod. 20. v. 15. Lev.
19. v. 11. Deut. 5. v. 19. Jos. 7. v. 1. &c. 19. Prov. 6. v. 30.
Matth. 19. v. 18. Job. 12. v. 6. 1. Cor. 6. v. 10. &c. Ingens
verò apud varias gentes in puniendis furtis fuit
diversitas, furtum enim cum omnium criminum sit
ideo familiare, ut vix ullum inter mortales reperia-
tur aut frequentius, aut notius, ideo diversa poena-
rum genera observata. Quà poenâ autem furtum
puniatur, non satis convenit inter Interpp. In Jn-
RE

re Divino modò restitutio fuit quadrupli , quintupli , sextupli . *Prov. 6. 31. Levit. 6. v. 4. Num. 5. v. 7.*
modò venundatio , modò bonorum confiscatio , modò vita mulstatio . *Exod. 22. 2. Sam. 12. v. 5.* Jure Civili , poena furti manifesti est quadrupli , non manifesti dupli . §. 3. *Inst. de Oblig. que ex delict. nesc.* Hodiè hæc poena dupli vel quadrupli non amplius est in usu , sed poena furti ordinaria ultimum supplcum est , ex Constit. Carol. V. art. 157. quam sequuta Juris Saxonici dispositio , & moribus quorumvis locorum ferè recepta , quam æquitati naturali inniti statuimus .

CONTROVERSIA XVII.

Contingit nonnunquam ut strangulandus uto
pto laqueo in terram incolumis cadat , an
adhuc jure suspendi possit ? Affirmati
vam legibus & æquitati naturali magis
consentaneam amplectimur sententiam .

Sententia enim secundum formæ promulgatae
tenorem suum debet sortiri effectum , daß er mit dem
Strang vom Leben zum Tod solihingerichtet werden /
& vigor disciplinæ publicæ suadet poenas ob malefici
a solvi . l. 70. S. fin. ff. de Fidejuss. ut poena unius sit
metus aliorum l. 1. C. ad L. Jul. repetund. Präser
tim cum sanctissimum sit officium , Deoq; gratissi
mum , si fiat justitia de criminosis , nec posse pin
guiorem victimam Deo macari , quam hominem
sceleratum ut ex Senec. refert. Paul. de Cast. in l. 3. C. de
Episc. audient. Contrarium statuentes , innituntur
hoc potissimum fundamento , quod hoc ipsum sit

miraculo adscribendum, quasi hac ratione Deus testimoniū suspensiō praebeat innocentia. Verum opinio hæc erronea est. Flores dissentientes allegat Berlich. p. 4, Concl. 45. n. 37.

CONTROVERSTIA XVII.

Moribus receptum est, ut executores justitie, quos vulgo Carnifices vocamus, si in iusto actu deficiant, neq; uno iure imperant, repente promiscua multitudo in illum irruat: Id ab equitate & ratione naturali alienum esse statuimus.

Hac enim proposita licentia, multa enormia existere necesse est, & ne deficientibus illis, honestiores se hac macula inquinare cogantur. Tholoz. in Syntag. Jur. Univers. c. 6. n. 7. Sapientissime ergo huic consuetudini obviam ivit Carolus V in peinlicher Halßgerichtsordnung art. 97. præcipiens: So der Richter nach dem End vertheil seinen Stab gebrochen hat/ desgleichen auch/ so der Nachrichter den Armen auf die Richtstatt bringt/ sol der Richter öffentlich aufrufen oder verkünden lassen/ vnd von der Obrigkeit wegen bey Leib vnd Gute gebieten/ dem Nachrichter keinerley Verhinderung zu thun/ auch ob ihm misslinget/ nicht Hand anzulegen.

CONTROVERSTIA XIX.

Iudex imperite, & imprudenter judicans, ex quasi maleficio tenetur.

Sicut quasi contractus tacitam habent conventionem, ita quasi delicta non habent dolum, qui sic de essentia omnium delictorum, excepto eo, quod vin-

vindiatur L. Aquiliā, in quo etiam citra dolum culpa sufficit, cum quo quasi delicta recte conferuntur. Ad has species refertur Judex, per imperitiam male judicans l. s. 5. 4. ff. de O. & A. pr. Inst. de Oblig. qua ex q. delict. nasc. l. ult. ff. de Extraord. Cognit. Imperitia enim annumeratur culpæ. l. 132. de R. J. & eo ipso quo acceptat officium videtur se asserere sufficiētem & peritum, unde si per ignorantiam male pronunciaverit, tenebitur parti laesa, in quantum æquū Judicii videbitur, considerato ejus errore & imperitia. pr. Inst. de Oblig. qua ex q. del. nasc. Jure Novellarum Judex qui dolo malo data operâ & pecuniâ corruptus iniquam fert sententiam, in causis pecuniariis amittit dignitatem, & infamis efficitur, & si quid acceperit eo nomine ut male pronunciaret, laesa parti præter expensas & interesse triplum ejus quam datum tenetur solvere. In criminalibus vero omnibus bonis confiscatis in exilium mittitur. Nov. 124. c. 1. Anth. Novo jure C. de Pan. jud. qui male judic. Merito inaq; improbatur Judex illiteratus Nov. 82. c. 1.

CONTROVERSIA XX.

Crimen laesa Majestatis non adversus Imperatorem tantum, sed etiam Electores Imperii Consiliariosq; ejus committitur.

Hoc ita per Imperatorem Carolum IV. expressè sancitum & constitutum est in aurea bullâ tit. 24. §. quoties. ubi etiam vocantur columnæ Imperii ædificium sacrum circumspectâ prudentiâ sustentantes. Confirmat hanc sententiam dilucidè l. quisquis s. in pr. C. ad L. Jul. Majef. Licet enim quidam distinguant, utrum illud crimen in odium & contumeliam principis directum, an ob privatum aliquod

in Consiliarios odium fiat: tamen lege generaliter
loquente, nec distinguente, & nos distinguere non
debemus. l. 8. ff. de publ. in rem action.

Coronidis loco queritur.

An Sumptus filios familias studiorum gratid subministratos, tem-
pore divisionis hereditatis paternae in legitimam sine
computandi? Negamus, per l. 5o. A. Fam. Ecclise.

Ad præstantissimum Dn. Resp.

Aspera sit quamvis studiorum semita, cæptis
Nec tamen absitio Gosnovicere bonis?
Laudo tuum studium, laudabit turba Sophorum,
Laudabit Genitor, cum Genitrice Soror.
Perge sacrata vigil scrutarier abdita Legum
Quæc' Patriæ multum proderis arg. Tibi.
Jova tuis sacro benedicat flamme cæptis
Quo sine terrigenum nil valet omne decus.

Richardus Güntherus Bartph. Ung.

LAUDABUNT ALIOS PRÆCLARA NEGOTIA MARTIS,
Et genus ac ingens nobilitatis opus:
Te F R A T E R pietatis amor, vigilesque labores:
Iagenij præsens quodque tueris opus
Cantabunt, ac lata tibi post munera proment,
Est quoniam J U R I S sedula cura tibi,
Dum valido mentis nervos celebrique duello
Excolis in Patriæ J U S T I C I Æ Q U E decus,
Hosce tuos validâ foveat virtute labores,
Justiciæ summus pretes ab Arce poli,
Sic tibi felici succendent singula passu,
Ac magnâ tandem parte beatus eris.

Samuel Dürner Cib, Hung.



Königsberg. Diss., 16.10.70



KD 17

8								
7								
6								
5								
4								
3								
2								
1								
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8

B.I.G.

Farbkarte #13



OUÆ
VER-
VRIS
M.

1638, 1

(3)

Trinitate :

Amplissime Facult-
orum Academia :

Simo Viro,
NO. Ohm /
Publico Pri-
motore omni-
etim ho-

stilandas

O VICERVS
irus.

Julii,
nis.

ord. Cognition.
ia, precio numma-

NTI,

hadij 1638.

23.

15